Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26228
Copyright: Admont, Benediktinerstift

58

Q. II.

Quod autem queritur. an de suis fratribus testes produci possint. multis auctoritatibus uidetur prohibitum. Leges enim tam sacrorum canonum. quam secularium principum prohibent. aduersus alium testes de sua domo produci. Contra se enim quisque testari potest. se ipsum accusando. pro se uero id est pro suo commodo. contra alios minime. Si ergo canonici producuntur. ut pro se ipsis testimonium ferant. patet quod eorum uox in talibus non est audienda. Sed hec distinctio et testium examinatio. in criminalibus causis seruanda est. in ciuilibus autem non usquequaque. In criminali causa non licet testem de propria domo produci. in ciuili autem auctoritate Paschalis II. licet.

Q. III.

Quod uero preter summam id est preter id quod dederunt. emolumenta sectari. sit usuras exigere. auctoritate Aug. Ieron. Ambr. et Agathensis concilii declaratur. Capitulum. Si feneraueris hominem. id est si tu mutuam dederis. et cetera. Mutuum dictum est eo. quia quod sit meum fiat tuum. Est autem mutuum quod in quantitate consistens. a me perficitur ad te. eiusdem generis recepturus tantundem.

Q. IIII.

Quod uero nec clericis nec laicis liceat usuras exigere auctoritate Gelasii. Leonis. et Iulii pape. aliorumque multorum declaratur.

Q. V.

Quod autem elemosine non sint faciende. ex fenore uel usuris. nec ex qualibet male acquisito. Augustini. Gregorii. Ieronimi et Ambrosii auctoritate probatur. Sed idem Aug. contra testatur dicens. Quicumque aliquid de malo et cetera. Sed hoc multipliciter intelligitur. De malo enim bonum facit. qui reddit quod illicite abstulit. uel qui pauperibus dispensat. quod cum labore et sollicitudine acquisiuit. iuxta illud euangelii. Facite uobis amicos. et cetera.